

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigeſimâ octavâ Januarii

M DCCXII.

M. PHILIPPO HECQUET,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An morbi à ſolidorum tritu?

I.



COR *oſcillum* vitæ. *Oſcillatio* elateris exercitium eſt, *vibrationis* opus, *ſolidorum* officium. Officium publicum, partibus omnibus commune, ſingulis proprium: motûs, functionum, ſanitatis ipſius inſtrumentum. Prodigium! mutos eſſe tam aſſiduos ictus, villoſque ſensûs authores verberari continuò, ſentire nuſquam, obſurdeſcere ſemper. Caſſa diceres verbera aut irritos ictus; interim meditatos ubique, fruſtraneos nullibi reperies. Sonant equidem, ſtrepuntvè ex *ſolidorum* colliſione ictus, at ex *fluidorum* occurſu, ſilent aut hebeſcunt. Itaque *oſcillando* vaſa tacent, in feriendis enim mollibus ſuccis occupantur. Materiem puta ſummè ductilem, incudi & malleo ſubjectam, immensè tenuandam. Hæc eſt ſanguinis moles, *oſcillationum* ictibus ſic comminuenda elongandavè, ut nullibi deplendo vaſa, ſingulorum ubiquè diſtantias & ſpatia repleat. Arcanam naturæ induſtriam! pauxilli auxilio ſibi ſufficit, nec pluribus impar. Fugit enim mentem vaſorum mira pullities; conceptum, immanis longitudo; fidem, enormis ſuccorum vaporatio. Igitur, quid inter tantos, exiguus chyli commeatus? omnibus tamen ſatis eſt. Rationem habes, partibus detritis abundè ſuppl.t materiæ

tritus. Avolant atomi, ſuperficies ſupplentur. Pullulantis *oſcillationis* fructus eſt, quæ quos verberat ſuccos enormi fenore reddit; eoſdem ut maximè ductiles immensè pandit, tenuat, exporrigit. Memineris ſuas eſſe ſingularum partium *oſcillationes*, ſuccorum tenes officinas, quæ veteraſcentibus & deciduis recentes ſufficiant. Hâc arte vegetat corpus; ſic decreſcendo creſcit, durat, ſeneſcit. Pullationis ergò materiæ fons eſt inexhauſtus materiæ *tritura*. Id periret ubertatis, ſi ſuccorum *analyſi* ſtuderet natura, in evolvendis ſcilicet unis *ſpiritibus*. Quam enim curta ſit talium ſuppellex expertum, quàm breves inde forent hominum dies, an daretur experiendum? Rationem exigis? exhibet ſanguinis ex *deſtillatione* reditus. Hic tantùm eſt *unciarum* aliquot *ſpirituum*, &c. reſiduum nil niſi mortem ſapit, *capitis mortui* opprobrio damnatum. Copioſior redit ex *triturâ* proventus, hâc enim omnis pars annona eſt, imò *tritûs* arte pars omnis nullis non ſecretionibus apta venit. Multiformis facta, quæ hîc *ſerum* erat, illic *bilis*; quæ ibi *ſpiritus* fuit, alibi *lympha* futura eſt; tandem *lympha* ubique facta, in *ſerum* quócunque revertitur. Hos edunt verſatiles ſuccos, millies iterati ſanguinis circuitus, vaſorum *preſſiones*, ictus, *oſcillationes*, tot artes liquorum *tritoriæ*. Reverâ, in *circulando* chymici liquores ſuas exuunt vires & facies, nec ergò varias inter variorum tubulorum anguſtias, *diametros*, curvaturas præterfluendo corporis ſucci, ſuas retinèbunt. Addubitas? Succorum conditionem facit *tritura*. Hos inter puros ab impuris, à fœcatis eliquatos ſecernere, fabulari eſt. Eliquamen, locorum anguſtiis & *diametrorum*, *tritura* rationi, *ſecretionis* modo debetur. Purum puta, qui debitè tenuatus & volubilis ſervit naturæ conſiliis, quique ductilis maximè factus duci patitur. Fucum fecit *ſecretionis* vox, hâc purum ab impuro ſecerni creditum fuit, ſed in nomine delirare erat. Demenſum eſt *ſecretio*; aptum ergò cuique ſuccum partiri, *ſecernere* eſt. At itanè tam paucis, tam tenuibus contineretur corporis œconomia! Siccine *tritu* uno functionum arcana conderentur! Saltem interrogant, quæ ſit illa manus quæ *tritûs* inſtrumenta tractet? Quæ regat organa? Quæ moderetur? An enim in agnoſcendo Dei digito conquieſcendum? An naturam appellaſſe ſatis erit? Nos juvat partium *mechaniſmus*, functionum concentûs & ſanitatis author. Hîc intelligis concordem partium diſcordiam, amica diſſidia. In quantum enim ſubigendo ſuccos vincere amant *ſolida*, in tantum *fluida* jugo gaudent, dociles vinci. Vis *æquilibrii* eſt, quâ libratæ res æquabiliter nec odioſè pugnant, nec invidioſè, ſed amicè luctantur. Pugiles dixeris unanimes, qui nec ambiguè, nec de imperio, ſed ex condicto & de amicitiâ certant. *Tritûs* ergò, quæ & vitæ ſunt cauſas ſcrutari altiùs deſine. Medenti has indigitat *harmoniæ* ratio, quæ *ſolidorum* cum *fluidis* eſt *æquilibritas* & concordia. Moveris exemplo? En ſenſibus obvium. Vita motus eſt ad annos; ad hebdomadas eſt horologii motus. Hunc alit æquabilis *oſcilli* jactatio, alterum conſtans *vibratio* cordis; utrumque *æquilibrium*. Subeſt illic *ſolidorum* contractus *elater*, hîc adeſt à *fluidis* elater *ſolidorum* exercitatus, utrobique *vibratio* æquabilis, ictuum parilis alternatio. Num aliquid *oſcillationis tritûſvè* rationem propiùs refert aut meliùs exprimit? an *ovum, ovo ſimilius?* Atqui functiones ſingulas agit ſimilis verberatus; functiones ergò omnes à *tritu* naſci palam eſt. Hinc, videre tibi videris *torcular* in cerebro, *Embolum* in corde, in pulmonibus *flabellum*; cernas in ore *molas* & *pila*, *prelum* in æſophago, in diaphragmate *piſtillum*, *tudiculam* in hepate, in ſtomacho *calcatorium*. Adeò tuditantes undequâque ſe produnt corporis partes! Porrò *vibrantes* & agitatorias intuendò arterias, *tudiculantia* viſcera, *quaſſantes* muſculos, membranas *prementes*, *ſtringentes* fibras; *friabiles* addito & *quaſſabiles* materies, *agitabiles* & *eliquabiles* ſuccos; horum omnium cauſsâ, expreſſa paſſim recognoſcis *torcula*, *tudites*, *malleolos*; quaſsûs, concuſsûs, ſuccuſsûs, frictûs, friationis, *colliſionum* artes; verè *preſſoria* vaſa, organa *tritûs*, *trituræ* argumenta.

II.

AT ne hilum de *fermentis?* adeòne depredari viſcera! ſiccinè corporis *œconomiam* depauperari. Poſthàc vitæ nihil in tuto, intuta ſanitas. Viſceribus enim

quid reliquum eſt? Otiari. Functionibus? Fèriari. Appellant ad *ebullitiones*, *effervescentias*, *fermentationes*. Effutita verba! tituli inanes! ludentes umbræ! At, inquiunt, omnium ore *trita erant*. Reverâ, *tritûs* enim ſunt appendices, ſolidorum ſaltus, pulſus, *oſcillationes*, luctæ. Sed hinc mali labes, motûs naturam & originem malè interpretando, *rotundis quadrata miſcuerunt*. Illius ſedem in *fluidis*, in *fermentatione* modum, cauſam in *fermento* quæſierunt. Inde monſtrum jam triceps, horreſcendo crevit. Qui enim à fabulâ inceperat error, in mendacium adolevit. Principiò finxêre *fermentum*, *acidum* deindè definierunt. *Acidum* proh dolor! Inauſpicatum nomen! Omen infauſtum! Calamitoſæ pyxidi compar! Quo medicinam ſemel ingreſſo, nova arti incubuit malorum cohors. O ſi nunquam natum! Atqui necdum natum eſt; ſanguis enim, ſi illæſus, *acido* vacat. Atqui *lympham*, *ſerum*, *ſalivam*, *ſuccum pancreaticum* acere volunt? Perperàm. Ex his reperies nullum ex *acidi* aſpergine delibatum. Rem vis in ſuffragia mitti? Chymici offerunt, ſanguinem enim *deſtillationi* ſubjectum, ne micam *acidi* reddere teſtantur. In reipsâ, quorsùm aut cur iſtuc *acidum*? ut corporis *œconomiam* infeſtaret? Argumento erunt ſanitatis damna, ex *acidorum* uſu aut eſu oriunda. Acida ſtomacho tantillùm indomita, mille mortis cauſas moliendo, crucem ægro figunt & medico. Viam autem monſtrat natura, quæ ſemper & ubique mulcendis, *lævigandis*, edulcorandiſve ſuccis allaborat. Eapropter tot & tam aſſiduè aquoſos, amaros, lenteſcentes latices hâc illâc in corpore ſevit; diluendis haud dubiè, *concentrandis*, *deprimendis*, inviſcandis, aut antevertendis acoribus. Multa adhuc, (garriunt enim quodlibet) cauſæ *fermentorum* adeſſe prætendunt. At eccuinam vel cadenti cauſæ deſideratur actor? Aliundè, obſunt longè plura, eaquè graviora. Obmurmurant ergò de neſcio quibus *ſulphureis*, *ſpirituoſis* ſimiliſque farinæ *particulis*, unde ſua *fermenta* cudant. Somnia. De his, an natæ ſint, adhuc ſub judice lis eſt. *Sulphura* nec prodit ſanguinis odor, nec ſapor. Abeſt à flammato ſanguine *aciditas*, deflagratis tamen *ſulphuribus* vulgò ſuperſtes. *Spiritus* vanuêre, valereque juſſi. Eodem calculo notatur nervorum latex, quem *nervoſum ſuccum* dicunt. Sed hujus loco ſufficiunt, *triti* tenuatique ſanguinis vaporoſum fumum, quo madentes & inſuccati nervorum villi, non ſecùs ac aquæ halitu ebriæ funis fibrillæ, *elaterem* concipiunt. Nervos enim tubulorum, qui cavi ſint, congeries eſſe nolunt. Contrà oſtendunt faſciculos eſſe villorum ſolidorum, qui bibuli ſint & meabiles. Sic conſtitutos citharæ fidibus comparant, his enim ut illis *contractiles* eſſe ſatis eſt. Porrò pauca hæc alendæ *contractilitati* & intelligendæ ſufficere putant. Hæc, an cum *fermentis* conveniant, judicato. Sed ecce pejora narrat, nec ſine authore, arcanus rumor. *Glandularum entia* in quæſtionem vocantur, illas enim non dari fama eſt. Heu igitur! Quò illarum munus? Quò *fermentorum* nidificia? At fortaſſis *nodum in ſcirpo quærere eſt*. Annuitur, attamen ſi vera ſit nupera glandularum conditio, has, officio vacandi *fermentis*, cadere neceſſe eſt. Altera adhuc diluenda venit inuſta *fermentis* inofficioſa labes. Ferunt nothos eſſe pullos, aut ſpurios fœtus, vulgò conceptos, qui ne patris quidem ſui nomen dicere poſſunt. Ab evectâ, evolutâve ſanguinis portiunculâ naſci vulgaverant, ſed hoc ipſum, ortum illorum incertare clamant; primigenia enim *fermenta* retrorsùm relegentes, unde ducenda veniat atavorum *fermentorum* materies aut origo fugit, ac obliteratur. *Fermentorum* autem mendaciis accedit *fermentationis* impoſſibilitas. Huic neceſſaria ſunt ſpatia inania, ampla, tranquilla; ſed plena ſunt, anguſta, motabilia, imò mota indeſinenter, *oſcillantia* nempe corporis vaſa. *Fermenta* contrita vides, pulſa loco, ſtatu dejecta, inſtrumentis & materie defecta: De *tritu* non item. Hujus inſtrumenta tam vera ſunt quàm neceſſaria, tam certa quàm manifeſta: nota materies, motus evidens, indubitata ſedes. *Fluida* intrà tubulos gracileſcentes coarctari palam eſt. Tubulis fibras & elaterem adeſſe conſentitur. Iterùm de *fluidis* fatentur, ea volubilia eſſe, pelli facilia; inò aſſiduè pelli. At liquorem vibratum continuò, tubulorum *elaſticorum* anguſtiis exceptum, validè premi quis non videt? eumdem *proje-*

ctionis, molis, & impetûs vi, in tubulorum gracilescentium parietes arietantem; *pressioni* obsistere, nemo negaverit. Duplicis *potentiæ resistentias* intellextin? alternationis rationem concludere est. *Potentiarum* inæqualium *resistentiæ* sunt inæquales; huc autem spectat corporis *fluidorum solidis* obsistentium conditio. Tantò enim *solidorum* vis, alternantem quæ sanguinis est, vincere æstimatur, quantò *unum* superant *mille*. Illorum ergò motus, alternatio sit oportet, lucta, *oscillatio*, *tritura*. *Tritura* inquam, *tritu* enim perfacilia sunt *fluida* quæ verberantur, quia dividua sunt non minùs quàm aqua. Testatur sanguis, sectilis adeò, ut intra *millenorum* tubulorum capillis *quater* milliès minorum *diametros* diduci notum sit. Testis *lympha* tam dissociabilis, ut vaporando vanescat. Porrò, sis memor suum esse fibris tenuioribus elaterem, innatamque minoribus canaliculis *oscillationem*; *tritûs* motum; modum, necessitatem, universitatem tenes. Intuere *oscillationum* ordinem, *symmetriam* partium, motuum *rithmum* & consonantiam, *harmoniam* omnium; sanguinis motûs æquabilitatem, ituum redituumvè illius constantiam, integritatem *functionum*, sanitatem ipsam intelligis.

VII.

INDIDEM prodeunt morborum causæ; sanitatem enim quam alit rerum corporis concordia, lædit earumdem discordia rerum. Quales arboribus sunt visci, tales finxêre morborum causas, *entia nova*, partus recentes; *fermenta* dixêre artis curiosi. Isthæc erant quibuscum hucusque nugabantur, sed artis emolumento nullo aut usu, utinàm abusu nullo! Quales enim causarum fabricas, quales machinationes commoliti! in quibus lusêre. Lusus infelices! in *absorbendis* enim acoribus, in castigandis *cacochyliis*, in *cacochymiis* everrendis, in eluendis sordium saburris, in averruncandis humorum crassamentis otiosè occupati, tempus perdidêre; parum est. Operam? minus: morbos torquendo infeliciter, viscera feliciùs heu! torserunt. Saltem præposterè medicati morbi, in *chronicos*, variabiles, desultorios, insanabiles affectus desiêre. Hos errores artificis non artis esse docet *trituræ* dogma. Quas enim in *fluidis* supposuerat *fermentarius* artifex morborum origines, in *solidis* ponit *trituræ* ars. Credi vetat morbos esse humorum *creaturas*, *entia* suspiciosa novas substantias; sed recentes substantiarum *modos*, novas *solidorum* affectiones. Illicò concludes mutatas esse, tumultuosas, festinatas, morantes, inversas, verbo præposteras *oscillationes*, quæ morbis præludunt. Benè, si addideris hinc rumpi *fluidorum* pronitates, nisus, *tendentias*; nasci proinde sanguinis circuitus inordinatos, abnormes excursus; *directiones*, inclinationes, impetus, *determinationes* mutatas, quæ sinceræ morborum causæ sunt. Absit quoque omiseris spissigradum sanguinem, aut tardantes lentescentesvè succos, hos enim repræsentat tenax & coriaceus sanguis, *inflammatoriorum* morborum individuus comes. Iterùm adde *fluidorum* acores, salsedines, acrimonias, &c. morborum partus esse, non parentes; causârum effectus aut asseclas, non causas; morbis enim astant, non præeunt; hos alunt, non incipiunt. *Tritûs* ergò errantis effectiones sunto; succos præposterè subigentis; unde mutatæ *superficies*, dissociatæ particulæ, densatæ, tenuatæ, pinsitæ plùs minùs. An enim aliunde odorum, saporum, colorum, similiumvè *modorum* aut *qualitatum* causæ? At morbi causa ipsum *tritûs* erratum est; argumento erit morbi insultus. Hic motûs error est, motûs autem progressivi ceu circuitionis. Intestinum *fluidorum* motum iterùm obtrudis? Somnium narras. Corporis *fluida* non se movent, moventur; pelluntur, non fluunt. Porrò *solidorum* muneris est impulsio, hæc à *pressione*, à *pressione tritus*. Sanguis ergò modò tumultuariè jaculatus fit exlex; hinc errat, vagatur, festinat, hæret, currit, nutat, cespitat: modò vibratus irruit; hinc insultat, arietat, allidit. Inde minæ; & reverâ, non aliunde ægrorum jactationes, anxietates, dolores, tremores, horrores, nervorum subsultus. Meliùs, tot offensus nervorum hîc numerabis; nervi enim sunt partium stamina, qui vellicati, crispati, stimulati, hæc

committunt. Cumulus malis accedet, si tardari semel cœperit sanguinis circuitus. *Coagulantis acidi* fabellam narrari expectas? Luderis, meliora monet *tritura*. Sanguis in majoribus vasis pulsus vehementiùs, in minoribus hæret. Itàne verò sanguinem sisti simul & accelerari? Ità concedes. Auctâ sub febre cordis *systole*, quantitas sanguinis pellitur mole, impetu, velocitate major *capillarium diametris*, capacitatibus, & *potentiis*. Causa in promptu est; quæ in sanis cordis pulsui suppar est *solidorum* vis, in ægris fit impar. Quid inde? Succis stagnatæ partes, appellenti à corde sanguini obices ponunt. Sanguis secum certat; nescius progredi, regredi dubius, in vetitum sibi circuitum nitens stat, incertus quà sit sibi nescit eundum; quid tandem? Stimulatæ *solidorum oscillationes* verberitando ingeminant ictus; in pellendo, premendo, exprimendovè retrogrado sanguine vasa laborant. Insano labore; *resistentiis* enim offensa iracundiùs *oscillant*, temerariè ac ordine nullo. Intereà, quam ebiberant ingurgitatæ *capillares* arteriæ sanguinis quantitatem fenerantur, integram enim circuitui non reddunt. Igitur hæret non tantummodò, sed verberationibus *oscillationum* suppositus diutiùs, premitur, tunditur; densatur. Rapidum vides sanguinem in majoribus vasis, in minoribus tardum; inquietum in illis, in his inertem? morborum sedem & rationem assecutus es; ipsa intueris morborum seminia. Turbas inde suborituras augurare, *solidorum* iras, *fluidorum* impetus, nisus, excursus, effluxus fortè & succorum eluvies; quid enim aliud exhibent *hæmorrhagiæ*, alvi fluxus, *perirrhœæ*, sudores; infelicia vasorum molimina? Unà tamen quantùmvis fingito acores, salsedines, acrimonias; *vitium enim capiunt ni moveantur aquæ*, quid ni stagnantes succos ac desides inquinari posse concederetur! Tantùm observaveris, *phlogoses*, *erisypelata*; maculas, tubercula, tumores, *apostases*, abscedentia, cuneatis succis strangulatisvè, circuitui elabentibus aut suffuratis attribuenda esse. Cæterùm *trituræ* dogma minùs moratur inenodabilis febrium recursûs causa. Singulis, alternis, quadrinis diebus recurrunt? Rationes aperit. Febrem infert sanguis difficilè redux. Hic enim alicubi, vel in angulo stagnat? Illa se prodit. Stagnare pergit? Febrem habes *continuam*. Identidem cessat? *Intermittentem*. Alternis diebus? *Tertianam*. Quadrînis? *Quartanam*, &c. Sed undè inquies, alternis, unde quadrinis diebus? Id intervalli *tritui* opus est, quò *oscillationibus* congruenter iteratis, & subactione debitâ, tardigradum sanguinem attenuando accelerare possit & eliquare. Cæteris enodandis par erit *trituræ* doctrina; sed hanc multa paucis proferentem audito. Sub morbis, *fluidorum* non solùm, ut ferebat fabula vetus, sed *solidorum* etiam conditioni attendere memento. *Fluidorum* vitia, ut errata minùs, quàm aberrationes habeto. Succorum hæc sunto *qualitates* novæ aut novi *modi*, non succi recentes. Sanguinis acores contemnito nusquam, at sanguinis ab orbitâ delirantis excursus, impetus, insultus, restagnationes metuito magis. Quod rei caput est, *liquidis* peccamina ut propria aut ultronea imputes caveto; mutuatitia sunt, *solidis* debita. Fibras igitur concipito *tensas* aut *laxas*, *rigidas* aut *molles*, *torpentes* aut *vellicatas*, *corrugatas* aut *resolutas*; hinc *oscillationes* habebis *citatas* aut *inertes*, *impeditas* aut *liberas*, *pigras* aut *festinatas*, *vividiores* aut *remissas*; verbo, *inordinatas*, *inæquales*, *discordes*. Verùm, si ex luto, farinâ aut cerâ tractatis variè, *fermentorumvè* rudi operâ pinsitis, colore, sapore, formâ, specie variata opificia fingit artifex, quot modis & coloribus versabiles venturi erunt in corpore succi, naturæ manibus tractati, tenuati, *triti*, subacti?

IV.

FERMENTIS cantati, *fermentationis* cantilenam recantant. Tantùm potuit isthæc fascinatio nugacitatis! à functionibus exulari *fermenta* tolerandum putant; à morbis intolerandum. *Bilescere* Sanguinem, serescere, frigescere, ardere, flammari, fervere; præterita verba: *ebullire*, *fermentari*, *effervescere*; præsentia. Ut enim sancta parùm sacrificia asseruerat Religio vetus, si *sale* deficerentur, sic destitutam *fermentis* Medicinam ut malè sanam abdicat nova *fermentaceorum* hæresis.

Fermenti ergò micam emendicant *fermentarii* , ſeu *ſalis* tantillùm , quo *Pathologiam* condiant. At condituras horret & offucias caſta medendi lex, ne vel modico temeranda *fermento*, undè tota corrumperetur. *Azyma* gaudet, ſinceritatis amans, timida falſi, ſtudioſa pacis, *fermentationum* ergò turbis & horroribus averſa. Re quidem ipſâ, *fermentorum* (quæ mala merx) jam ſatis eſt; has Medicina ponit exuvias, fæces artis aut *ſcorias* inutiles; plus nimiô fervefacta , *defervescit* ; ſpumamque hanc omnem tandem *ebulliendo*, deſpumat. Meritò , nam immane dictu , quàm longè latèque deſævire cœpit *fermentorum* furor ! ægritudinis umbram *fermento* minuere, furto datur. Atqui rideas furoris inſani deliramenta ! Immerſa adhuc nihilo *fermenta*, titulis ac nominibus cumulant; emerſa nempè nondum è Sanguine , *acida* , *alcalia* , *fixa* , *volatilia* , *oleoſa* , *ſalina* , plauſu præcoci ſalutant. Sic umbras venantur ac nomina vocant; iſthæc enim ſubventaneis & inanimis ovis ſimiles partus ſunt, irrita, vacua germine , nunquam rumpenda , edenda nunquam. Id nihili produnt, quæ pro morborum *fermentis* militant argumenta, leviſſima ſunt enim vel nulla. Vidiſti, quæ functionum erant, cauſis, ſede, ſpatiis, materie, inſtrumentis defecta; quæ morborum erunt, evanida comperies. Sub morbo laborat univerſa corporis œconomia , univerſas ergò ſimul partes emoveat neceſſe eſt morbi cauſa. An id potentiæ, *fluidis*, (quò *fermenta* pertinent) competat expendito. *Fluidorum* (ſanguinis potiſſimùm) partes *contiguæ* ſunt, inſtabiles proindè earum *directiones*, faciles rumpi. Illarum motus *fluiditatis* erit aut *ebullitionis*; at uterque , eſto, altè feratur; latè, exeſto. Igitur motum iſtiuſmodi ad diſtantiſſima corporis propagari poſſe, fide caret. Inſuper, aquarum undæ, per libera ſpatia ad ultimas fluvii ripas dilatari, obvium eſt; Contrà, liquores intrà locorum anguſtias, obliquitates , flexuras, hærent ubique, identidem tardati, ne hilum undantes. Hîc autem Sanguinem pingi putes, tubulis obliquis, tortuoſis, flexuoſis arctatum. Arctatum, inquam, ſic enim graciteſcendo vaſa deſinunt, ut capillorum tenuitatem immensè ſuperent. Has inter arctationes, Sanguinem tibi finges undulabundum aut bullantem ? inibi tumentes fluctus intelliges, ſursùm prorsùm undantes ? lepidum, ſucclamant, *fermentationis* commentum ! quaſi bulliendo tumeret Sanguis ! Clanculùm pugnat, tacitè diffidet, ſecretò luctatur & clandeſtinò. Subterfugium ; quem inteſtino motu agi poſſe negatur, domeſtico tumultu fervere jubent. Tamen intercedunt, *motûſ*que *inteſtini* jura repetunt; Sed negat obvius ſanguinis ſtatus. *Fluido*, fluidus eſt minùs, aqua enim ſibi relicta ſponte volvitur, Sanguis vaſis egreſſus, illicò ſtat. Ratio in propatulo eſt, precariò movetur, quem mutuò à *ſolidis* tenet motum, reddere paratus. At liquorem hinc inde preſſum aſſiduè, fibris quaſi funibus mancipatum, verè ergaſtulum, hunc ad *fermentationem* comparatum recognoſcis ? aliundè, *fermentationis* requiſita ſunt, locorum facilitas, agilitas partium, motûs libertas; ad hæc tam idoneum ſuadebis Sanguinem undique circumſeptum ? Quid ergò, rogant, futurum de ſaporibus *acidis*, *ſalſis*, *ſulphuratis*, *alcalinis*, quos prodit morbidus ſanguis? Profectò, ſenſilia hæc *fermentorum* ſeminia non odorari, ſtupere eſt; non intueri, cæcutire. Bona verba. *Fraeedines* ſunt, putida ſtagnantium ſuccorum ſpiramina. Sed ſpiramentum eſt *fermentum*, aura levis, aëria minuties. Apàgeſis, his abſtineto nugalibus ; quæ è morbido ſanguine prodeunt ſalia, morborum cauſæ non ſunt, ſed partus ; partus autem poſthumi, à morbis relicti, horumvè ſuperſtites. His interim, ſi placet, ſecundarios , degeneres, aut abortivos morbos tribuito, priorum enim ſunt rudera morborum, & ominoſa materiarum ſuperamenta, futurorum reſponſa malorum. Quantùm enim vivacem maximè, totumque à natura vitam dilaudant *phœnicem* , tantumdem tibi dolebit *homo totus à naturâ morbus*. Ille è cinere renaſcens, moriendo reſurgit, hic à morbo revaleſcens, ſaneſcendo remorbeſcit. Inde videas convaleſcentis *hominis ultima*, *pejora* ſæpe *prioribus*. *De fumo* enim, (ut aiunt) *ad flammam* ; *acutorum* morborum *Charybdi* emerſus, *chronicorum Scyllam* offendit. Id apportat infortunii, *fluidorum* vitiis medendi nimia ſollicitudo. Stagnantem ſanguinem, quem fluento reddidiſſet opportuna *ſolidorum* cura , *alcalinis*, *fixis*, *volatilibus*, *ſalinis*, *terreis* , *oleoſis*, irritantibus corrumpunt. Hic

acer factus, infelices infert morborum *successiones*; artis an opprobrio, an ludibrio artificis? hæc sunt *judicatoria non judicantia*, quò spectant *metastases*, *apostases*, multiformes morbi, ludentes, incerti, insidiosi. *Acido* enim *salso* aut *muriatico* sub *acutis* facto sanguine, vicarios se dant *chronici, splenici, melancholici, hypochondriaci & atrabilarii* morbi, morosi affectus, intractabiles, *echini toti*; quibus adulari dubium est, irasci periculosum; impugnati enim validiùs, invalidiùs expugnantur.

V.

HEU! Ergò de *fermentis* actum est; quantùm luctûs! viscera viduantur; quot funera! *fermentatio* jacet; quæ lachrymæ! sed has siccabit *tritus*; quas enim per ambages ac diverticula, obnubilaverat sanitatis & morbi causas operosa *fermentatio*, elucidat facilis & expedita *tritura*. Illa enim hujus laus est mira simplicitas, veritatis imago. *Secretionibus* (quibus stant functiones) *fermentatio* vacans, viscerum aditus, vias, atria sternebat *fermentis*, sua singulis (tot quasi genios familiares, quot olim januarum liminibus tutelares Deos) *fermenta* figens. *Secretiones* ferè dixisses *opera tenebrarum* exercenda *lemuribus*. Aliunde, *fermentorum* posituras, indoles, nomina, formaturas lustraveris, omnia hæc instabiliora vento, versatiliora cardine, *Chamæleone* mutabiliora reperies. *Tritura* verò æmula naturæ, opera mutat non consilia. *Terendo* easdem *terit* vias, succum eundem, iisdem instrumentis. Tubulorum *pressiones* ubique sunt, verberatus, *oscillationes* ab uno fibrarum *elatere* natæ. In stomacho *chylus*, *bilis* in hepate, in pancreate *succus*, *urina* in renibus, in cerebro *lympha* laboratur, idem in radice succus est, *lympha* nimirùm tenuata plùs minùs, dotata variè, diversimodè formata; illic *succosa*, hìc *serescens*; *tincta* modò, modò *limpida*; ibi *amarescens*, *elactescens* alibi; *sapida* aliàs, aliàs *insipida*. Hinc sua inesse talia sanguini arguis? tantùm observaveris saporos liquores, extrà sanguinis orbitam, velut extraneos hospitari, expulsioni debitos. Sed *de tramite in viam*. Ipsissima *lympha* est, quæ nutriendo rorat, quæ *perspirando* vaporat. Hâc *solida* madent, *fluida* vehuntur; sola omnibus prospiciens, solius *trituræ* opus. Reipsâ, cibus commolitus in ore, in æsophagò comminutus, *tritus* in ventriculo, eliquatur in intestinis; hìc videas primordia lymphæ; quæ secretionum ut principium, sic meta est; has enim inchoat & finit omnes, non secùs ac totius corporis *œconomiæ* universitas. Intestinorum *peristole* expressa, citata *mesenterii* hujusque glandularum pressu, sanguinem subit. Arteriarum *systole* tunditur, intrà ramusculorum *diametros* dispertita, divisaque rarescit, vanescit in cute, vasorumque finibus aut capillamentis. Vitam ergò filum verè dixeris, *secretionum* enim filum est, pollicis *Parcæ* minùs quàm *tritûs* pressu deductum. Vitam adhuc, si voles, vocaveris laborem, omnia enim in corpore laborant, secretioni *solida*, *fluida* secerni. Vivendi rationes ex *tritu* tenes, valendi leges ex eodem accipito; tuendæ sanitatis prima lex est, cibus opportunè datus. Opportuni nomine intelligis cibatûs locum, & tempus? appositè; at ciborum qui tempore & loco conveniunt, opportunitas maxima, delectus. Hunc *tritura* definit, cùm *trituræ* genus sit coctio. Opportuna ergò alimenta, quæ *tritu* facilia erunt. Secùs decreverat *fermentatio*. *Distillationi* assuefacta aut *analysi*, coctilia magis statuerat, quæ *fermentationi* paratiora erant. Hinc opima quæque, & ex animalium carnibus, maximè jurulentis præoptaverat, quod plus succi polliceri ferebantur. Eviluerat enim prisca victûs consuetudo, ciborum videlicet quos nonnullis exsuccos, illiberales & ignavos vocari placuit. Sed hos imperitia decepit, & ignorantia veri, hi enim succo potentiores sunt, friabiles enim cùm sint, frangique faciles aut resolvi, toti in alimoniam cedunt. Longè dissimiles, quos *fermentatio* nutritui parasset; hâc enim arte pessimâ, plurimâ sui parte, fæculentâ videlicet, corpus defraudassent. Sed ecce, quò eos rapit insanientis gulæ cupiditas! ex alimentis, quæ sunt *fermentationi* aptiora seligunt, carnium (quas in deliciis maximè habent) sortis obliti, quæ *fermentationi* tam parùm natæ sunt, ut illis solvendis *fermentum* invenire, *Corvum album* reperire sit. Perperàm ergò *super carnium ollis sedentes*, olerum, &c. usum, præ carnibus ridiculo habent. Clamat natura, cujusvis

familiæ animalibus, (ut pote maximâ parte ruminalibus), hæc una edulia parati. Quomodo ergò, tot inter naturæ argumenta, carnariis hominibus nostris contigit tam fœdè cæcutire! mirari cesses, talia non capit mens præoccupata carnium cupidine aut illarum nidoribus offuscata: surdo canere est, palato nempe exsurdato, aut insanis infatuato saporibus. Cæterùm quanti sit *tritura physiologicis* rebus & *diæteticis*, ecce conspicuum est; multò pluris futuram esse *pathologicis* inconspicuum mox non erit. Castigandis morborum *ætiologiis* servire visa fuit, retexendis *indicationibus* videbitur profutura. Medentis curam præoccupaverant *fluida*, *solida* reposcunt. In illis *deprimendis*, *elixiviandis*, *edulcorandis*, grande verbum! *Depurandis*, huc usque sudatum est; in his mulcendis, leniendis, laxandis sedandis-vè quiescendum erit. Verbo, in illis, conjectando locaverat morborum sedes *fermentatio*, in his *tritura* digito monstrat. Quid autem, si immedicabilium ægritudinum causas indidem subodorari concederetur! An alicunde incrementi tantùm Medicinæ alluxisset! In hanc spem adducunt nupera *specificorum* inventa. *Febres* & *Dysenterias*, quæ quondam medicationi obsurdescebant, nunc illicò sanant *Cortex Peruvianus*, & *Brasiliensium radix*. Miraris! In *fluidis* aut humoribus causas venabantur, quas in *solidis* specifica revelarunt. Hæc enim partium fibras & *tonum* firmando, nativasque restituendo *oscillationes* mederi, *tritura* docet. Eadem revelabit *purgantium* abusus, aut *purgationum* dolos & insidias. Tandem pessumdabit *Orgasmi*, *trita* dices interpretamenta? an popularia commenta? quibus ventos & plebeculam pascunt; *fluida* tamdiu quamdiu *fluidorum* fluctibus innixa; *solidescentia* tam parùm, quàm *solidorum* basibus parùm *solidata*. Rerum enim *tritûs* indocti, in *deterendis* corporum succis tempus *terentes*, eliminandis, ut loqui amant, humorum ejectamentis, *purgantia* devovent, quæ *determinationes* mutando, redigendo *directiones*, frangendo *impetus*, *insultus* evocando, revocando tandem *oscillationes*, maximè sanant. Sed *ne extrà oleas*. *Carcinomatis* sola proficere *anodyna*, mulcentia, *narcotica* observatum est; talibus *solidorum* linimentis, hasce malorum furias eblandiri tantùm hactenùs didicerant; quid autem si similes *terendo* vias, illas omninò cicurare doceret *tritura*? Illi tandem Medicinæ parti, quæ manu curat, *tritura* progressum spondet aut incrementum, cui enim solvendo non erit? Cur *turundis* aut *vulnerum pressui*, tantâ curâ parcendum sit; cur ab *oleosis* & *pinguibus* tam sæpè abstinere juvet in *herpetibus*, *erisypelate*, &c. Cur *ulcera Dyscpulotica*, quæ *balsamis*, *mundificativis*, *Epuloticis*, *pulveribus* & *siccantibus* quibusvis exacerbata, *lotionibus* ex aquis aut *succis* herbarum mulcentibus & *anodynis*, cicatricem induendo mitescerent, fugerat *fluidorum* systema; revelat dogma *solidorum*. Communis ratio est. Morborum partem plurimam expedit *solidorum* curatura, qui *fluidorum* Medicinam eluserant. Sed *ex ungue Leonem*. Hæc tritûs; quæ benè multa sunt, interim plura adhuc, *&c.*

Ergò morbi à solidorum tritu.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Herment Medicus Regis ordinarius.

M. Stephanus Franciscus Geoffroy Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis, Regiæque Societatis Londinensis Socius, Lector & Professor Regius.

M. Franciscus Aignan.

M. Jacobus Fourneau.

M. Ludovicus-Franciscus Dutal Pharmaciæ utriusque Professor.

M. Michael-Ludovicus Renéaume de la Garanne Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Joannes-Baptista Doye.

M. Urbanus Leaulté Pharmaciæ Professor.

M. Michael Pichonnat.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA-THOMAS MARTINENQ Parisinus, Baccalaureus Medicus.
Die Jovis 28 Jan. A. R. S. H. 1712. à sextâ ad meridiem.

Ex Typographiâ J. QUILLAU, Typ. Jur. Lib. Universitatis.